# QVÆSTIO MEDICA,

## QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XI. DECEMBRIS,

## M. MATHVRINO DENYAV, Doctore Medico, moderatore.

832

*An Herôum Filij noxæ?*

SPIRITV, tanquam ὀχήματι, admiranda hominis structura sustinetur: spiritus intus alit, totámque infusa per artus mens agitat molem, & toto se corpore miscet. Igneus est illi vigor & penè cœlestis; eius tamen originem ne primis corporibus deneges. Spiritus πρωτοπλάστης in microcosmo omnia simul cum anima & calore peragit: iacerétque artificiosa corporis fabrica graui principiorum mole oppressa, tanquam terræ inutile pondus, nisi innati spiritus ἐνεργείᾳ agitaretur, sine qua neque ali, neque augeri, neque generare, neque viuere, neque sentire, moueri, aut intelligere potest.

TOTA generandi vis pendet à diuino illo spiritu: Corpus est tenue, lucidum, aëreæ & igneæ naturæ, elemento stellarum analogum, corporis & animæ vinculum, aut medium, præcipuum in obeundis functionibus instrumentum, caloris natiui, omniúmque humorum vehiculum celerrimum, momento temporis partibus affulgens vel remotissimis, à primis generationis principiis insitum, ex calidiore & tenuiore seminis portione natalitia sua repetens. Ille est qui per totum seminis corpus quoquouersum diffusus, particularum structuram omnibus suis lineamentis complet ac perficit, & postmodum fouet, vt is sit seruator qui fuit genitor.

SPIRITVS ille est herôum parens, ἐγκεφαλοποιητικός; præcipua eius agitatio fit in arce Palladis, ad tres licet præcipuos fontes sese magis conferat, vt suæ substantiæ perpetuo fluori obnoxiæ restaurationi destinata ἐργαστήρια & ταμεῖα vis πλαστικὴ sibi constituat. In iis, vi spiritus insiti, perficiuntur spiritus influentes, specie, origine, materiâ, facultatibúsque à se inuicem discrepantes, nobilissimæ corporis nostri Aristocratiæ inseruientes. Ab hepate naturalis ignobilior, à corde vitalis, à cerebro nobilior animalis per neruos iugiter ac perenniter emanant. Ex iis, in testes per propria vasa confluentibus, vnus fit spiritus ille γεννητής, omnium & præcipuè principum partium perfectionem ac complementum in sese continens.

CONFLVANT igitur confertim & vndiquáque spiritus animæ participes, & in vnum generationis opus incumbant; his turgens & grato perfusus nectare gaudeat vterus; quo satiatus abundè non ampliùs recurret ad hepar ἰκμαλέον, neque tot in humano corpore tragœdias excitabit. Generatio, omnium actionum naturalium perfectissima, omnium ὁρμώντων ξύμπνοιαν, ξύρροιαν, ξυμπάθειαν, optimámque temperiem exposcit; hinc herôes, quasi diuino partu sati, μακροκέφαλοι, prudentes, μικροκεφάλοις longè præstantiores.

NE spiritus auoca, venerem cole, mentem venus ipsa dat; tetricos à suis aris focísque excludit, lætum & hilarem pacatúmque animum postulat, totum denique hominem requirit, ne fiat indigna parente soboles: hinc è sordidis natalibus, nonnumquam herôes pullulant, quorum filii rursus verâ μετεμψυχώσει, stupidos, præcipites, temerarios auos referunt. Semen sine spiritibus ἄψυχον, cum iis ἔμψυχον & diuinitatis speciem æmulatur: non satori, sed semini ab omnibus partibus deciduo, tota vis tribuenda: naturæ sequitur semina quisque suæ.

*Ergo Herôum Filij noxæ.*

Proponebat Lutetiæ CLAVDIVS LE VASSEVR, Parisinus. A. R. S. H. M. DC. XXXVI.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

*M. Claudius Germain.*
*M. Germanus Preaux.*
*M. Ludouicus Renouard.*

*M. Petrus le Conte Schol. Prof.*
*M. Mathurinus Alton.*
*M. Franciscus Blondel.*

*M. Ludouicus Robillart.*
*M. Franciscus Boujonier.*
*M. Ioannes Berault.*

